quod agis, audendum tibi aliquid, ut aliquid vincas, audendum tibi aliquid, si victoriæ laude clarere, et gaudere velis, pugna bellanda si victoriam appetis, si triumphum manus acerrimè conserenda, triumphus non nisi ex difficillima cum opimis spolijs pugna, magna hostium strage edita, suis conservatis victori vel a gentibus concessus est nulli, certamen excipit victoria, victoria parit coronam, et triumphum, triumphus gloriam, gloria felicem æternitatem, et æternam felicitatem: Age igitur, hunc facinus, quod meditata mens tua est, excandescis? non possunt extingui hæ flammæ, nisi comburantur, ast ubi ignes? nulli certè, at verò si flammas accendit Venus in perniciem tuam, tu non invenies flammam, qua Venerem comburas? sed ecce dulcissime Salvator mi, suavissime JESV, te audio acclamantem mihi, vocem tuam Pastoris mei audio ovis ego propè perdita, cognosco proponentem te mihi crucem. video, et ecce promptus asto, vis tecum in hac crucifigar, volo, opto, ardentissimè cupio, at te rogo, a te posco, hoc triumphum, hæc coronam parit, hæc me tibi, et te mihi donat, ergo hic in hac solitudine tecum affigar, adeste lictores, adeste Judæi, me crucifigite, clavis perforate manus, extendo libens, lancea o Centurio meum latus perfode, detego, sed ecce Bone Jesu lictor abest, Judæi non apparent, Centurio hoc munus detractat; Tu itaque Prætor Pilate, iube corpus, tergum, tibias, omnia denique membra à militibus tuis acerrime validissimeque ex omnibus concidi viribus, ego reus ille insons, ego mancipium ille Cæsaris et Imperator Romæ totiusque terrarum orbis, at verò et Pilatus detrectat, milites hinc abesse queritur, et ego conqueror o bone JESV, ego non potero tecum paria tormenta pati, ut et tibi in gloria propius coniungar? Sed tamen aliud video tormenti genus superesse, coronari tecum cupio, Regali, quo tu superbire gestio, diademate, et ecce hic ego te sequi, hic ego me pariter coronare possum, imo volo